CONCLUSIONES
HISTORICO-ECCLESIASTICÆ,
CHRONOLOGICÆ, POLEMICÆ, SCHOLASTICÆ

Publico tribus continuatis Diebus
certamini expoſitæ

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS

ADM. REV. P. MAGISTRI

FR. BERTOLDI CRASSAU

ORDINIS CARMELITARUM

S. Mariæ Traſpontinæ de Urbe Sac. Theol. Regent.

A P. FR. JOSEPHO PASQUALI TICINENSI
EJUSDEM ORDINIS FLORENTIÆ STUDENTE.

FLORENTIÆ. MDCCX.

Ex Typographia Vincentii Vangeliſti. *Superiorum licentia.*

ADMODUM
REVER. PATER.

COgitanti mihi nuperrimè à quo tandem lucis fonte Conclusionibus hisce meis ex Polemica Theologia excerptis, splẽdorem, ac præsidium accerserem, occurrit primum in oculos nomen tuum, ut rebus meis semper auspicatissimum, ita longè latèque virtutibus tuis celeberrimum. Et cuinam dignius Theses istas vovere, & dicare vel possim, vel debeam, quàm tibi ò præsidium, & dulce decus meum! Nonnè tibi compertum est, me à prima juventute, tui amorem, & cultum induisse, tequemihi Patronum adoptasse, & Ducem in periculis, in molestiis, in omni denique vitæ cursu elegisse; etiã in studiis felici semper successu? Quapropter superest ut ea qua ad te supplex fiducia reducitur clementia excipias. Quæ optimum te Studiorum Mecenatem minime non fateri valebit, quemadmodum te asceticæ vitæ, nunquam satis commendatum Archyetipum, mirari non cessat. Id ea, quę gessisti, præsignant. Per te Provincia Tolosana tuta pace quiescit; dum Commissarius Generalis designatus, ita omnium Patrum in te corda devicisti, nervosa sem-

per ad virtutes hortatione, ad ſanctitatis ſemitas, fervido ſemper impulſu, & quod mirabile eſt, vultu nunquã nubilo, obtutu nunquam aſpero, ſerenitate dulci benignitate jucunda oſtendiſti. Quid plura Phyloſophicis addita ſacra ipſa Studia teſtantur. Teſtantur ipſa Religionis exempla, in Virginem cultus, asſiſtentia divinis, Templis reverentia non interrupta. Quid quid in cumulatisſimam tui luminis appendicem ipſæ tibi ſe adjunxere virtutes? Monaſticis exercitiis ſtrenua obſervantia, in collatis dignitatibus ſumma modeſtia, in theologicis Chattedris ſublimis ſapientia. Novit hoc Carmelitana Religio, noverũt candidati Studioſi, amãtisſimi Diſcipuli. Quid quid de te illi perceperint enarrant. Quid quid in te iſti contemplantur edicũt. Quid enim eorum in te ſuſcipit viſus, percipit auditus, quod ſecum non ferat in agendis prudentiam, in moribus integritatem, in tractibus amorem, in doctrinis ſublimitatem. Hæc talia ſunt, ut luce ſolis clariora exiſtant. Jure ergo theologica hæc Theoremata dicari tibi debẽtur; Theologicalia enim Viro Theologo, ſublimis Doctrina per rerum caducarum contemptum per cęleſtiũ contemplationem ſublimi ſuprema Theologia ſupremo Viro debetur. Æquo igitur animo accipe exiguũ hoc pignus meæ erga te obſervantię ac propenſę devinctęque voluntatis, & ſicubi deficit vel muneris oblati exiguitas, vel abjecti condictio offerentis, ſicut ſupplet mea ex parte animi & amoris, quo offertur magnitudo, ſic ſupple, & tu ex tua ea qua ſoles benignitate, & humanitate illud acceptans, abiectumque offerentem erigens. Vale diù felix vale in ęvum, & ultra.

Humillimus, & Addictisſimus Servus.
F. Joſeph Paſquali Carmelita.

EX PRIMO ÆRÆ
CHRISTIANÆ SECULO.

1 ANno ab Orbe condito 4053. à jactis Urbis fundamentis 753. Augusti Imperantis 42. Consulibus C. Julio Cæsare Nepote Augusti, & L. Æmilio Paulo: Jesus Christus Unigenitus Dei Patris filius, nono ante mense impolluto Mariæ Virginis in Utero Spiritus Sancti opera corporatus, in hanc lucem prodiit.

2 Christiana Religio à nostris Protoparentibus usque ad Christi Domini adventum constanti ac perpetua fidelium, Pastorumque successione, quamvis non nomine, re ipsa tamen permansit.

3 Mulier cujus meminit Sanctus Lucas Cap. 7. v. 37. illa ipsa est quæ Soror Lazzari, & Marthæ fuit, & in Bethania ac in Domo Simonis Leprosi unxit pedes Jesu, ejusque Passioni adstitit, ac unguentum ad Sepulcrum attulit, unde fuit una tantum Mulier, & non multiplex.

4 Personas Ecclesiasticas, & bona Ecclesiarum esse etiam jure Divino exempta à seculari, & laica jurisdictione evincitur ex Mattei Cap 17. v. 24. & 25

5 Beati Petri Apostoli ejusque Successorum Romanorum Pontificum in omnem sub Cœlo Ecclesiam, omnesque Christi fideles Primatus immediatè collatus ab eodemmet Servatore ipsi Personæ individue Petri apertissime demonstratur ex Mattei 16. v. 17. & 18. Lucæ C. 5. v. 3. Joan. C. 21. v. 15. 16. & 17.

6 Ultimum infallibile, & irreformabile protsus esse judicium in rebus fidei latum à Romano Pontifice loquente ex Cathedra, præscindendo ab Ecclesiæ consensu, & Generali Concilio, ipsumque esse absolutè Superiorem OEcumenico Concilio palam ostenditur ex Lucæ C. 22. v. 32. C. 5. v. 3. Matt. C. 13. v. 2. & 3. C. 16. v. 18. & 19. Joa. C. 21. v. 15. Actuum Apostolorum C. 15. v. 2.

7 Romano Pontifici in Principes Seculares eorumque Provincias, & Regna potestatem indirectam competere, eamque dici posse appendicem Primatus S. Petro, ejusque Successoribus Romanis Pontificibus à Christo Domino immediatè collati elucescit ex Lucæ C. 22. v. 38. Joan. C. 18 v. 11. C. 21. v. 15. Matt. C. 16. v. 19. C. 22. v. 21. C. 28. v. 19. ex Epist. ad Corinth. pr. C. 6. v. 2. ad Romanos C. 13. v. 1. & 2.

8 Christus Dominus titulo Unionis Hypostaticæ habet quoddam jus supereminens tam jurisdictionis, quam proprietatis ex se sublimius quocumque jure competente puræ Creaturæ rationali, neque oppositum ullatenus firmatur ex Joan. C. 18. v. 36.

9 Presbyterorum Curatorum jurisdictio malè negatur subjecta jure divino Potestati Episcopali ex Lucæ 10. v. 1.

10 Episcoporum jurisdictio ab Ordine distincta de jure divino est immediate à Romano Pontifice, neque huic veritati obsunt verba Actuum Apostolor. C. 2. v. 28.

11 Christus Dominus est primum, & præcipuum Ecclesiæ fundamentum. Petrus est minus principale, & secundarium Ecclesiæ fundamentum post Christum; Ceteri verò Apostoli post Petrum, & cum Petro eorum capite sunt minus præcipuum ejusdem fundamentum.

12 B. Petrus fuit verè, & serio reprehensus à B. Paulo Epist. ad Galatas C.2. v.11.circa esum ciborum,quod fuit ad summū error facti,non doctrinę.

13 Baptisma Joannis Luc. c. 3. v. 3. non fuit idem Sacramentum cum Baptismo Christi, & gratiam solum significabat, non itidem conferebat.

14 Ecclesiastici regiminis forma, neque est propriè Monarchia, neque Aristocratica, neque Democratica humana, sed potius nova quedam humanæ sapientiæ hactenus ignota.

15 Chatedra Petri cum Petra seu firmitate fidei inconcussè connexa nequit ullam pati auctoritatis jacturam, ex prætensa depravatione morum Romanæ Curiæ.

16 Ex pluribus Sacræ Scripturæ textibus dilucidum est, admittendum necessario esse non scriptarum Traditionum Apostolicarum perennem usum tanquam paris auctoritatis cum Apostolicis Scripturis apud omnem Ecclesiam.

17 Ex Joan. 20. v. 22. & 23. palam est potestatem absolvendi à peccatis traditam fuisse Apostolis, & Sacerdotibus. Ex Actibus vero Apost C. 19. v. 18., & ex Epist. D. Jacob. C. 5. v. 16. manifestum est Confessionem auricularem post Christi institutum à tempore Apostolorum fuisse in Ecclesia observatam.

18 Extant certæ, & veræ Ecclesiæ notæ, quibus à falsis discernatur, inter quas est visibilitas cum perpetuitate conjuncta, & infallibilitas in rebus fidei, & morum. Romana namque Ecclesia in nullo unquam dogmate fidei jacturam facere potest, & ex divino sacris paginis tradito jure habet auctoritatem judiciariam, ac legislativam absolutam, & indefinitam in omnes Christiani Orbis Ecclesias.

19 S. Petrus post quam Antiochiæ septem Annis sedit, Romam venit tertio Claudii Imperatoris Anno, ibique præsedit; non Urbis dumtaxat, sed totius Orbis Episcopum egit, ac jus successionis post ipsum in Romanis Pontificibus remansit.

20 Greca Sacrorum Bibliorum Editio per septuaginta Interpetres non in eadem Basilica sedentes, & inter se conferentes, sed in singulis Cellulis inclusos adornata fuit.

21 Canones Apostolis attributi, nec ab iis conscripti; nec à S. Clemente Papa collecti fuerunt, sunt tamen antiquitate sua commendabiles.

22 Non Patrum monumentis tantum, sed ipsis Scripturis Canonicis tum veteris, tum novi Testamenti fidem miraculorum à Viris Sanctis gestorum, Reliquiarum, ac Sanctarum Immaginum, usum, & cultum extorquemus.

23 Missæ Sacrificium quod est verè propitiatorium pro Vivis ac Defunctis, & efficaciter probatur ex Figuris, ac Prophetis veteris Testamenti, fuit à Christo Domino institutum, cum in ultima Cœna se ipsum obtulit Deo Patri, sub specie panis, & vini, & ab Apostolis frequentatum.

Ortho-

ORTHODOXA DOGMATA

1 Deus non est Legislatoris dignitate spoliandus, contra Simonem Magum.
2 Non potest homo absque Baptismo salvari, aliis ejus qui non baptizzatus obiit defectum supplentibus, adversus Cerinthum.
3 Virginitas, & continentia non est reicienda, & coniugii ineundi necessitas imponenda, adversus Ebionem.
4 Iste Mundus non fuit ab Angelis conditus, contra Basilidem, & Saturninum.
5 Uxorum comunitas haud quaquam permittenda est, adversus Niccolaitas.
6 Resurrectionem jam factam esse, nec amplius futuram, meræ nugæ sunt Himenei, & Phileti.

ASSERTA THEOLOGICO-SCHOLASTICA.

DEI EXISTENTIA.

1 Ratione naturali à posteriori demonstrari potest Deum existere; hæc tamen propositio Deus est, non est nota per se quo ad nos.
2 Dei simplicitas licet omnem compositionem ex genere, & differentia excludat, uti & distinctionem ex natura rei, virtualem nihilominus inter attributa inter essentiam, & personalitates distinctionem admittit.
3 Per suam immensitatem reperitur Deus etiam in spatiis immaginariis fundamentaliter, & illius æternitati omnia futura sunt physicè, nedum obiectivè præsentia.

EX SECUNDO ÆRÆ CHRISTIANÆ SECULO.

1 Secundo Christi Seculo à Romana Ecclesia Affrica Christianam Religionem suscepit; per Prædicatores enim ab ea missos Affricani ad fidem conversi sunt.
2 Marcion Heresiarca à Parente Episcopo excommunicatus Ponto Romam post S. Hygini Papæ obitum, sedem Apostolicam appellatus confugit.
3 Sub ista Christiani nominis exordia Romani Episcopi auctoritate in Orientali Ecclesia fuere convocata Concilia, directæ ad illa instructiones, ac jussiones.
4 S. Victor Pontifex Maximus primus inter omnes Romanos Episcopos præcepit celebrandum festum Paschatis Dominico die post 14. Lunam primi mensis, universa Ecclesia cum Romano Pontifice oppositæ Asianorum sententiæ contradicente, quos etiam si S. Pontifex anathemate non confixerit, intercedente S. Ireneo cum Gallicanis Episcopis, attamen ipsos potuisse ab eo censuris constringi; nemo ea tempestate revocabat in dubium. Controversia autem de die festi Paschalis inter S. Victorem, & Polycratem Ephesiorum Episcopum exorta, ne dum ad disciplinam, sed etiam ad rectam fidem pertinebat.
5 Tertullianus obliquis suspicionibus non immeritò exagitatus fuit circa Dei incorporeitatem; realem tamen Corporis Christi in Eucharistia præsentiam Calvinistis inficiantibus nullatenus favet; imo eam non uno

tantum in loco astruit; Appellat Romanum Episcopum Pontificem Maximum, & Episcopum Episcoporum, ejusque decreta, ac judicia in rebus fidei, & morum in universa Ecclesia peremptoria vocat; Oblationes pro Defunctorum Animabus, & Crucis Christi ipsiusque signi culturam describit.

6 Narratio Traiani Imperatoris ad preces D Gregorii Magni ab Inferis liberati tanquam fabulosa, & commentitia conjicitur, etiam ex eodem S. Gregorio Papa.

7 Jejunium in genere est quidem lege divina præceptum; At Ecclesiæ Catholicæ auctoritate statorum dierum jejunia servantur.

ORTHODOXA DOGMATA.

1 Christus Dominus non fuit ex S Joseph generatus more ceterorum hominum, ita ut probitate tantum aliis præstiterit, adversus Carpocratem.

2 Nefas est Fidem negare, & Religionem simulare, etiamsi id oretenus non animo fiat, vel Idolo genuflectere, incensumque adolere dirigendo intentionem ad Crucifixum clam gestatum, vel facta à potestate publica interrogatione fidem tacere, seu eam ita simulare, ut moraliter loquendo censeatur quis fidem erubescere, seu uti verbis æquivocis, quæ obvio sensu fidei negationem, aut erubescentiam significent, contra Elxai, & Jexeum.

3 Implicat contradictionem dari duos Deos unum bonum, omnis boni principium, alterum malum, malorum omnium fontem, adversus Gnosticos.

4 Incapaces sunt fœminæ Eucharistiam conficiendi, & Sacramenta quælibet administrandi, contra Marcitas.

5 Christus Dominus cum carne resurrexit, & in Cœlum ascendit, adversum Appellitas.

6 Materia non est Deo coæterna, contra Hermogenem.

7 Mortui incapaces sunt baptismi, adversus Montanistas.

8 Matrimonium non est reprobandum, & fornicationi æquiparandum, contra Adamitas, & Encratitas.

9 Blasphemum est asserere cum Florino Deum peccata permittere, & facere.

ASSERTA THEOLOGICO-SCHOLASTICA.

VISIO DEI.

1 Videri potest Deus ab intellectu creato lumine gloriæ confortato, cujus defectus neque per divinam Omnipotentiam suppleri potest.

2 Repugnat Deum clarè, & intuitive per speciem creatam repræsentari, vel visa Essentia non videri Personas.

3 Beatus videt omnes Dei perfectiones, ex Creaturis possibilibus aliquas tantum.

4 Cum æquali lumine, Intellectus magis perfectus non magis videbit.

5 Oculus Corporeus quamtumlibet elevatus, non potest ad tantam Visionem assurgere.

EX

EX TERTIO ÆRÆ CHRISTIANÆ SECULO.

1 S. Zephirinus Pontifex Max. ab errore, & partibus Montani fuit omnino alienus, ejus heresim damnavit, auctoresque perfidiæ anathemate percuiit.

2 Privatus Lambesitanus Episcopus à duplici Synodo Provinciali damnatus ad S. Fabianum Papam provocavit, approbante appellationem S. Cypriano. Quo circa judicia ecclesiastica uniuscujusque Provinciæ non sunt supremæ auctoritatis.

3 Basilides in Provinciali Concilio ab Episcopali Sede dejectus, S. Stephanum Pontificem Maximum appellavit.

4 Ex pluribus hoc Seculo occurrentibus gestis clarissime enitet Romanũ Pontificem summa præditum esse auctoritate in omni sub Cœlo Ecclesia Episcopos ordinandi, ejusque Decreta plenissimam ubique Ecclesiarum obtinuisse auctoritatem ad Episcoporum depositionem, aliorumque substitutionem.

5 S. Stephanus Romanus Pontifex excommunicationem minatus est S. Cypriano circa Hereticorum baptisma; eam tamen intercedente Dionysio Patriarcha Alexandrino suspendit, nihilque de fide circa eam quæstionem ex Cathedra definiit, licet ejus sententia in universa Ecclesia prevaluerit, & huic etiam S. Cyprianum tandem adhesisse gravissima indicant monumenta.

6 Aurelianus Imperator causæ Ecclesiasticæ inter Paulum Samosatenũm, & Domnum Antiochenum agitatæ judicium assumere noluit, sed illud Concilio Episcoporum Cattolicorum Italiæ, & nominatim Romano Episcopo remisit.

7 Origenes in persecutione Decii Imperatoris thus Idolis obtulit, de divinitate Verbi Divini perperam sensit; circa divinam gratiam verò vindicari potest.

8 Quatuor publicæ penitentiæ gradus nimirum, fletus, auditio, substractio, & consistentia ob manifesta delicta maxime infedelitatis, luxuriæ, & homicidii, circa hujus tertii Seculi medium distincto nomine assignati reperiuntur.

ORTHODOXA DOGMATA.

1 Fabulosum est, & Chymericum Impiorum animas post mortem converti in Demones, contra Tertullianum.

2 Validus est Baptismus ab Hereticis collatus verbis in Evangelio præscriptis, contra Agrippinianos.

3 Ritus miscendi aquam vino in Sacramento Eucharistiæ fuit à Christo Domino, & Apostolis adhibitus atque præceptus, etiamsi ad valorem Sacramenti non exigatur adversus Hydroparastatas.

4 Tum ex Veteri, tum ex Novo Testamento, tum ex Patrum Traditione evincitur Divinarum Personarum Trinitas, adversus Noetianos.

5 Nullum est Crimen post baptismum, quod Clavibus Ecclesiæ Pastoribus collatis remitti nequeat contra Novatianos; quorum etiam error

est, Confirmationem non esse verum Ecclesiæ Sacramentum à Christo Domino institutum.

6 Commentitium est, ne post Resurrectionem quidem statim Animas Sanctas Dei Visione donari, sed carnali Regno in terris cum Christo Domino Annis mille positas ad Dei contuitum provehi, adversus Chialistas, seu Millenarios.

7 Insulsum, ac stuporis plenum delirium est damnandos esse cibos tanquam à Diabolo creatos, adversum Abstinentium Gnosticorum germina.

8 Ex Sacris paginis Apostolica Traditione, Ecclesiæ Definitione, ac ratione claret hominem libero arbitrio esse insignitum, ac in ejus potestate esse bene, vel male operari, contra Manicheos.

9 Pater Divinus non est Incarnatus, & carne passus, adversus Patripassianos.

10 Pugnat contra Sacras Scripturas, Sanctos Patres, & Ecclesiæ judicia, Damnatorum pœnis, & Beatorum gaudiis aliquando finem imponendum, animasque rationales ante corpora creatas, & ob peccata in corpora velut in Carceres immissas, nec ullam post hanc vitam inter Viros, & Fœminas sexus futuram discretionem, contra Origenem.

ASSERTA THEOLOGICO-SCHOLASTICA.

SCIENTIA DEI.

1 Ex eo quod Deus sit summè immaterialis, rectè deducitur esse summè Sapientem.

2 Essentia divina constituitur formaliter per esse à se; Natura verò per intelligere actuale.

3 Seipsum comprehendit, Creaturas verò non in se ipsis, sed in sua Essentia tanquam in Causa; futura nonnisi in Decretis.

4 Entia rationis cognoscit quidem, sed efficere nequit.

5 Ejus Scientia adequatè dividitur in Scientiam Visionis, & simplicis Intelligentiæ, quecumque alia inter utramque media superfluitatem, & contradictionem involvit.

EX QUARTO ÆRÆ CHRISTIANÆ SECULO.

1 Marcellini Papæ lapsus, & Synuessanæ Synodi acta non sunt supposititia, & adulterina.

2 Cæcilianus Cartaginensis Episcopus defectu relationis ad Romanum Episcopum, irrito, & vano conatu per Affricanam Synodum depositus dicitur à S. Augustino.

3 S. Melchiades Papa, præter Episcopos à Constantino Imperatore missos ad Concilium Romæ celebrandum in causa Donatistarum, non tanquam delegatus ab Imperatore, sed suo jure alios vocavit Episcopos Italos ad Concilium, ac sua sententia judicium clausit.

4 Concilio Arelatensi Patriarchali Occidentis S. Silvester Pontifex Maximus per suos Legatos, vel per Marinum Arelatensem Episcopum, tanquam suum per Gallias Vicarium præsedit.

5 Pri-

5 Prima OEcumenica Synodus Nicena fuit à Constantino Imperatore convocata cum consensu S. Silvestri Pont. Max., qui per Hosium Cordubensem Episcopum, Vitum, & Vincentium Præsbyteros Synodo ex 318. Episcopis conflatæ Anno 325. præsedit ubi fuit auditus, convictus, anathemate obstrictus Arrius, ejus heresis damnata, & Decretum quod Paschatis festum Dominica proxima sequente Lunam 14 in tota Ecclesia celebrandum sit. Canon sextus in vulgata editione mutilus est; desiderantur enim hæc verba, *Quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum*. Non limitatur eo Canone Patriarchica Romani Pontificis potestas intra Provincias Suburbicarias circa centum ab Urbe lapides, aut intra decem Provincias supra Metropolitanam auctoritatem.

6 S. Athanasius à sententia Conciliabuli Tirii contra se ipsum lata, non appellavit ad Constantinum Imperatorem.

7 S. Julius I. Pont. Max. summo jure recepit cognitionem causæ inter S. Athanasium, & Eusebianos.

8 Constantius, & Constans Imperatores consentiente Julio Summo Pontifice, Sardicæ convocarunt Concilium, quod magni Concilii Niceni Appendix comuniter appellatur, ejusque Canones 21. Nicenorum nomine condecorantur, Huic OEcumenicæ Synodo præfuerunt Hosius Cordubensis Episcopus, Archidamus, & Philosenus Præsbyteri nomine Julii Papæ suffragantibus 284. Episcopis, turpi fuga elapsis Philippopolim octaginta Eusebianæ factionis Antistitibus. Jus appellationum in Episcoporum causis ad Romanum Pontificem fuit quidem in Sardicensi Synodo confirmatum, & celebratum, non tamen primo institutum.

9 Primæ fidei formulæ in Sirmiensi Concilio efformatæ nullum errorem exprimenti invitus subscripsit Liberius Papa, & S. Athanasium damnavit, & cum Arrianis apparenter comunicavit; qui error fuit facti, non vero juris.

10 Alteri formulæ fidei apud Sirmium in paucorum Episcoporum cætu conditæ, & Arriana heresi consprurgatæ subscripsit vi adactus Osius Cordubensis Episcopus, quem impietate detestata decessisse non obscure indicatur.

11 Arriminensi formulæ, & Symbolo suffragiū denegavit Liberius Pont. Max.

12 Theodosius Imperator Anno 381. collegit Constantinopoli 150. Episcoporum Orientalium Synodum, cujus initium fuit quidem illegitimum, & Orientalis dumtaxat Ecclesiæ qualecumque Concilium extitit, nec OEcumenicum audiit, donec eam auctoritatem ipsi contulerit S. Damasus Papa. Probabilius videtur fuisse tantum tres Canones hujus Synodi, in qua Macedonii, Apollinaris, & Eunomii proscriptæ hereses, & conditum adversus illas fidei Symbolum.

FIDEI DOGMATA CONTRA HÆRETICOS.

1 Secunda in divinis Persona est Filius Dei Unigenitus per omnia similis, & consubstantialis Patri, ejus Verbum, & Immago, ejusdem voluntatis, potestatis, sapientiæ &c. contra Arrium, ejusque hæresis Innovatores Lælium, & Faustum Socinos Senenses, Arrianisque pejores Socinianos.

2 In una vera, & Catholica Christi Ecclesia sunt etiam graves peccatores, tum occulti, tum manifesti, quorum culpis ea numquam maculabitur, nec deficiet, ut verè nunquam defecit, adversum Donatistas.

3 Ratum fixumque est ex Scripturis vero aliquo, & catholico sensu mala à Deo creari, quod intelligendum est de malis pœnæ adversus Colluthum

4 Hæc erat impia, & insana Anomæorum jactantia, Deum ipsis non minus immò & multo amplius perspectum esse, quam rem ullam corpoream, immò quam se ipsos sibi.

5 Macedonianos Spiritum Sanctum esse verum Deum inficiantes, perditissimæ impietatis damnamus.

6 Episcoporum, & Præsbyterorum officia fuerunt semper in Ecclesia potestate, dignitate, auctoritate, & jurisdictione valde diversa, contra Ærianos.

7 Sine baptismo, aut ejus voto speranda non est æterna Beatitudo, adversum Messalianos.

8 Stellis homines fatali nexu alligare blasphemia, & indignitas enormis est Priscillianistarum.

9 Exibilatur ac exploditur error Apollinaris, verbo, & carne sola compingentis Christum, optimaque hominis parte anima, & mente truncatis.

10 Helvidii error capitalis fuit, perpetuam Virginitatem purissimæ Deiparæ negare.

11 Ex Sacris Paginis, Scriptoribus Ecclesiasticis, & Traditione Apostolica constat dari Purgatorium, contra Ærianos.

12 Insigne Orthodoxæ Ecclesiæ dogma est, venerandos, colendos, atque invocandos esse Sanctos, adversus Eustatianos.

13 Corruptam, atque violatam esse à Nicenis Patribus Apostolicam de Trinitate, & Incarnatione Traditionem, error est recentium Socinianorum.

ASSERTA THEOLOGICO-SCHOLASTICA.

PRÆDESTINATIO.

1 Est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.

2 Consistit formaliter in actu intellectus, qui subsequitur electionem mediorum, & connotat actum voluntatis.

3 Meritorum prævisio nihil confert ad divinam prædestinationem, quæ tota est Dei miserentis.

4 Inter prædestinationis effectus, etiam permissionem peccati recensemus, gratiam per peccatum interruptam.

5 Christus est causa meritoria nostræ prædestinationis, prædestinavit enim nos in adoptionem filiorum per Christum.

EX QUINTO ÆRÆ CHRISTIANÆ SECULO.

1 S. Joannes Chrysostomus bis inique damnatus, bis Innocentium I. Papam appellavit.

2 Cœlestius Præsbyter à Sententia Synodi Cartaginensis appellavit ad Zozi-

Zozimum Papam; unde appellationes in causa fidei etiam minoribus Clericis licuerunt, quod ulterius confirmatur ex appellatione Apiarii Præsbyteri Sicvensis ad eundem Zozimum.

3 Ecclesia Affricana nequaquam se se opposuit appellationibus Episcoporum ad Romanum Pontificem, maximè vigente contentione inter utramque Ecclesiam Romanam, & Affricanam, circa jus appellationum.

4 Anno 431. indicta fuit à Teodosio Juniore Imperatore tertia Synodus OEcumenica Ephesina 274. Episcoporum, prævio S. Cœlestini Papæ consensu, cujus nomine, & auctoritate Synodo præfuit usque ad ejus finem S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, una cum Arcadio, & Projecto Episcopis, ac Philippo Præsbiteris Romanæ Sedis Legatis. In hoc Concilio editi sunt sex Canones contra Cœlestium, & Pelagianos, ac Nestorium.

5 Eutiches Heresiarcha à Constantinopolitana Synodo damnatus, S. Leonem Papam appellavit.

6 in Ephesino Latrocinio S Flavianus Episcopus Constantinopolitanus inique depositus, ad S. Leonem Pontificem Max. appellavit.

7 Marcianus Imperator priusquam Synodum Chalcedonensem OEcumenicam quartam convocaret, consensum, & litteras exquisivit à S. Leone Papa, qui illuc Paschasinum, & Lucentium Episcopos, Bonifacium, & Basilium Præsbyteros Apostolicæ Sedis Legatos misit, eisque tradidit Epistolam dogmaticam, tanquam formam plenissimam, & lucidissimam definitionis fidei, aliarumque rerum in Synodo expediendarum; non verò ipsa Epistola fuit prius ad fidei regulas expensa, nec eadem antequam ad Concilium transmitteretur fuit ab Occidentalibus Episcopis approbata.

8 Theodoretus Episcopus Cyrensis in prædatoria Synodo nefari damnatus appellavit ad S. Leonem Papam, à quo definitiva sententia suæ Sedi restitutus est.

9 Absurda, & Ecclesiasticis regulis adversa est eorum opinio, qui Parochos, aut simplices Sacerdotes vocem definitivem à Conciliis Generalibus cum Episcopis habere garriunt.

10 Editi sunt in Calcedonensi Synodo 28. Canones, qui aliud robur in se non habent nisi quatenus à Romanis Pontificibus, vel ab aliis Conciliis recepti sunt.

11 Hoc labente Seculo in Occidentali Ecclesia instituti videntur Chorepiscopi.

ORTHODOXA DOGMATA.

1 Impium est cum Nestorio Naturas in Christo duas colligare, non aliter quam per relationem, habitudinem, seu affectum, & cognationem.

2 Eutychiani per confusionem duplicis naturæ in Christo Domino, immutabilem Deo subripiebant naturam; verbumque divinum à paterna longe exturbabant æqualitate.

3 Deiparæ nomen profligandis hinc inde Nestorii, & Eutychetis erroribus in omnes Orientis plagas, longe lateque effusis, accomodatissimum est.

4 Peccatum Adæ non ipsi soli, sed toti generi humanu obfuit, adversus Pelagianos.

5 Necessitas moriendi, concupiscentia, rebellio carnis &c. non sunt conditio naturæ, sed pœna peccati.

6 Homo in statu naturæ lapsæ per vires liberi arbitrii sine gratia Christi superaddita libero arbitrio interna, & supernaturali, nullum potest observare divinum præceptum, prout oportet ad salutem, aut facere fructus pœnitentiæ dignos, ita ut homo mereatur veniam.

7 Non solum volentibus, & incipientibus confertur & est necessaria gratia subsequens, qua possint in fide proficere, & bonis operibus consequi salutem, sed etiam confertur, & necessaria est gratia præveniens actualis, qua possint velle, & incipere credere, propterea dona gratiæ sunt initium Fidei, credulitas, seu voluntas credendi, & augumentum fidei, contra Semipelagianos

8 Prædestinatianorum palmaris error erat, quod si ad omnes, & singulos actus bonos, & ad non peccandum indigeamus gratia præveniente, & consequente nostrum consensum, non erit in nobis liberum arbitrium, quo ita bene operamur, ut possimus non bene operari, ita peccamus, ut possimus non peccare.

ASSERTA THEOLOGICO-SCHOLASTICA.

ACTUS HUMANI.

1 Voluntarium est cujus principium est intra cum cognitione finis, & circumstantiarum.

2 Datur pura ommissio libera sine omni actu, qui sit causa, vel occasio illius.

3 Nequit inferri violentia à Deo voluntati, saltem positivè, nisi quo ad suspensionem actus imperati.

4 Facta ex metu ita sunt mixta ex voluntario, & involuntario, ut tamen sint simpliciter voluntaria, & secundum quid involuntaria.

5 Concupiscentia nullo modo causat involuntarium.

EX SEXTO ÆRÆ CHRISTIANÆ SECULO.

1 Ex actis Synodi in causa Symmachi Papæ coactæ, claret convocationem auctoritativam Conciliorum ad Romanum Pontificem, etiam cum de ejus accusatione agendum est spectare, ipsumque Generalibus Conciliis superiorem esse.

2 Consuetudo confirmandæ ab Imperatore Romanorum Pontificum electionis non Ecclesiastica disciplina, sed seculari violentia introducta fuit.

3 Nunquam Principibus Secularibus, ulla insedit auctoritas impedimenta Matrimonium, ut Sacramentum est dirimentia assignandi.

4 Commentitium est S. Joannem I. Papam Justino Augusto persuasisse, ut Arrianis Ecclesias ablatas redderet, eosque insectari desineret.

5 Agapetus Summus Pontifex appellationem contumeliosi Episcopi Regensi à Synodo Provinciali depositi, ad Romanam Sedem factam recepit; Anthimum Constantinopolitanæ Sedis invasorem absque ullius Concilii

con-

convocatione summo jure exauctoravit, & in ejus locum Mennam substituit.

6 Vigilius qui Silverio Papa Superstite Apostolicam Sedem malis artibus occuparat, eo ad meliorem vitam traslato debitis suffragiis legittimus Universalis Ecclesiæ Præsul renunciatur; primam Justinianam Justiniano Imperatore rogante Archiepiscopali Sede decoravit; pro celebratione quintæ Synodi Generalis annuit, sed retractata justis de causis sententia nullis precibus flecti potuit ut Synodo præesse dignaretur, quamvis deinde ingentibus curarum fluctibus agitatus trium Capitulorum damnationem dumtaxat, salva in omnibus reverentia Synodi Calcedonensis approbaverit.

7 Ex Canone 20. Concilii Turonensis 2. liquet Romano Episcopo inesse jus & auctoritatem damnandi, & prohibendi ubicumque sententias, propositiones, librosque, aliquid contra fidem, aut bonos mores continentes aut ad schismata viam sternentes.

8 S. Gregorius I. Papa Senatori Præsbytero, & Abbati pro Augustodunensi Xenodochio privilegium concessit, ubi formula illa *Si quis Regum &c. potestatis honorisque sui dignitate careat &c.* est vera, & genuina, & non solum comminatoria, sed decretoria sententia est, adeoque depositionis pœnam à temporali Principatu, in quos etiam Reges torquere è sua auctoritate esse rectissime perspexit Sanctissimus Pontifex.

ORTHODOXA DOGMATA.

1 Non tantum perfecti, sed omnes prorsus homines ex præcepto tum in lege nova, tum in lege veteri obligante tenentur diligere proximum etiam inimicum, nec satis est non odisse inimicum, aut ei exibere solos actus externos dilectionis, sed debet diligi actu interno, & formali contra Talmudistas.

2 Eucharistia sub utraque specie Infantibus etiam lactentibus impertienda non est; adversus Jacobitas.

3 Impium & blasphemum est Christum Dominum, corpore, & anima aqud Inferos relictis, Divinitate sola in Cœlos ascendisse, adversum Christolitos.

ASSERTA THEOLOGICO-SCHOLASTICA.

BONITAS, ET MALITIA.

1 Moralitas non est sola libertas, vel denominatio realis extrinseca, sed modus quidam realis superadditus ipsis actibus voluntatis; riteque statuitur in ordine ad objectum per legem, aut rationem regulabile.

2 Ut actus sit moralis, libertas saltem quo ad exercitium requiritur.

3 Bonitas consistit in habitudine trascendentali, quam actus dicit ad Objectum, rationi consonum, & Legi.

4 Quotiescumque medium bonum propter finem malum eligitur, non sunt admittendæ duæ species in genere moris, idem dicendum de medio malo ob finem bonum electo.

5 Licet assignabilis sit actus secundum speciem indifferens, nullus tamen in individuo spectatus.

EX

EX SEPTIMO ÆRÆ CHRISTIANÆ SECULO.

1 HOnorius I. Potifex Max. Honorium Cantuariensem, & Paulinum Eboracensem Archiepiscopos pallio donavit, Fortunatum Gradensi Patriarchatu deturbavit, & Primogenium Ecclesiæ Subdiaconum Regionarium in ejus loco substituit.

2 Ioannes IV. Papa Monothelitarum heresim absque Generali Concilio diris proscripsit, & Heracli Imperatoris Ecthesim Monotheliticam impietatem redolentem damnavit.

3 Theodorus Papa, Pyrrum in Monotheliticam hæresim relapsum anathematis sententia, intincto in Christi Domini Sanguinem calamo subscripta confixit, Paulumque Constantinopolitanum Episcopum, eadem de causa damnavit.

4 S. Martinus I Papa convocata Lateranensi Synodo Monotheliticam hæresim ejusque auctores, Ecthesim Eraclii, & Typum Constantis damnavit, Paulum Constantinopolitanum Episcopum hæretica lue afflatum anathematizavit. Macedonium Antiochiæ, & Petrum Alexandriæ ab Hæreticis electos Patriarchas occupatis sedibus dejecit.

5 Vitalianus Pont. Max. Ioannem Lappensem Episcopum à Paulo Cretensi Metropolitano in Provinciali Concilio depositum, & ad Romanam Sedem appellantem in pristinam redintegravit auctoritatem.

6 Anno salutis 680. Constantinus Pogonatus Imperator convocavit Constantinopoli tertiam Synodum Generalem, inter OEcumenicas sextam prævio consensu Agatonis Romani Pontificis, qui per Theodorum, & Georgium Præsbyteros, & Ioannem Diaconum Legatos Sedis Apostolicæ Concilio præfuit; Synodi verò Patres à Summo Pontifice ejusdem Concilii approbationem obtinuerunt.

7 Trullanæ Synodi Anno circiter 684. à Iustiniano II. Imperatore coactæ Canones 102. Sergius Papa ab Imperatore rogatus approbare noluit, & quamvis fuerint deinde synodaliter expensi, non tamen constat, quinam ex illis ab Apostolicæ Sede approbati fuerint.

8 S. Vuilfridus Eboracensis Episcopus bis à sua Sede pulsus, geminam appellationem interposuit ad Agathonem, & Ioannem VII. Romanos Pontifices, à quibus suæ Sedi restitutus fuit.

ORTHODOXA DOGMATA.

1 Si à Verbo divino hominis assumpta est anima, profecto erit, & intellectu suo, & voluntate sua munita, nam indivulxo nexu hæret intellectui voluntas, adversus Monothelitas.

2 Crucem Christi ipsissimam ut ejus contactu consecratam ac imbutam sanguine adorandam dicimus, tanquam ipsius Christi sacrosanctas reliquias, & eandem rursus, ut immaginem Christi pendentis, & expictas ad eam immagines alias fusas, celatasque venerandas, contra Paulicianos.

3 Maometanismi impium dogma est latronibus, maleficis, alisque peccatoribus ex Dei prædestinatione in eo statu esse moriendum, neque precandum ut Deus malos viam rectam edoceat; nihil enim profectur um, nisi cui Deus voluerit. 4 Hu-

4 Humano arbitrio peccatum adſcribendum eſt, & non ſoli impugnationi Dæmonum, ſine quibus peccatũ nullũ futurum ſit, adverſus Armenos.
5 Chazinzariorum error eſt, præter Domini Crucem nullam omnino imaginem colendam.
6 Lampetianorum palmaris error fuit, ut iis qui in ſacris ſodalitiis, & Religioſis Cænobiis vitam agunt, eam vivendi rationem ſequi, eumque corporis habitum uſurpare liceret, quem quiſque vellet.

ASSERTA THEOLOGICO-SCHOLASTICA.

PECCATUM, ET VITIUM.

1 Vitium contra naturalia directè, & per ſe contrariatur habitui virtutis acquiſitæ, virtuti autem infuſæ nullatenus contrariatur Vitium; ſive ſit contra naturalia, ſive contra ſupernaturalia.
2 Peccatum letale eſt ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ.
3 De ratione peccati eſt Legi adverſari, ita ut nullum ſit dempta lege peccatum.
4 Item rationem offenſæ includit Deo ut Legiſlatori, & ut ultimo fini.
5 Malitia peccati Commiſſionis ita in poſitivo conſiſtit, ut nullius privativi concurſum requirat.

EX OCTAVO ÆRÆ CHRISTIANÆ SECULO.

1 S. Gregorius II. Pont. Max. Martiniano Epiſcopo, Georgio Presbytero S. Sedis Apoſtolicæ, & Dorotheo Subdiacono in Bavariam ablegatis præcepit Epiſcopia diſponere, Sedem præcipuam Archiepiſcopo reſervare, Epiſcopos ordinare &c *ex auctoritate B Petri Apoſtoli*
2 S. Gregorius III. Carolum Martellum Chriſtianiſſimi elogio cohoneſtat, quod præclariſſimum nomen ob inſigna priſcorum Galliæ Regum merita in rem Chriſtianam, & Romanam Sedem hereditarium eiſdem fuit, & Iconoclaſtarum hæreſim damnavit, ejuſque Sectatores anathemate confixit.
3 Zacharias Summus Pontifex nullo alio ſuppetente remedio pro Gallicani Regni ſalute, & Religione, ob ignaviam, & ſtoliditatem Childerici Tertii Regis ex Merovingica ſtirpe poſtremi in extremum, & evidens diſcrimen adducta, per auctoritatem Apoſtolicam, juſſit ad Francorum Procerum preces, Childericum Regem deponi, & Pipinum ex Præfecto Palatii in ejus locum ſubrogari ſecundum ceremonias Francorum, & à S. Bonifacio Archiepiſcopo Legato Apoſtolico in Regem ungi: Hoc Zachariæ Decretum confirmavit Stephanus III. Papa, & tribus poſt Annis Pipinum cum Carolo, & Carolomanno ejus filiis ſolemniter in Regem unxit, à quibus in remunerationem Exarchatum Ravennæ, Urbes, & Provincias &c. Romana Eccleſia recepit.
4 Anno Chriſti 787. à Conſtantino, & Irene Imperatoribus convocatur Niceæ in Bitinia ſecunda Synodus Generalis Nicena ſeptima nuncupata 350. Epiſcoporum præhabito conſenſu Hadriani I. Romani Pontificis, qui Petrum Archipresbyterum Eccleſiæ S. Petri, & Petrum Abbatem Monaſterii S. Sabæ Romæ ſiti, Legatos Sedis Apoſtolicæ, Concilio præ-

fuit, ejus tamen singulas actiones quæ octo fuerunt, & quamcumque Episcoporum sententiam, aut interlocutionem ibi habitam, & viginti duos Canones ibidem conditos plura falsa involuentes non approbavit, sed comune dumtaxat de Fide Decretum auctoritate Apostolica confirmavit circa Sacrarum Immaginum cultum.

5 Hadrianum I. Pont. Max. Carolo Magno facultatem contulisse Romanum Episcopum eligendi, & singulis Episcopis investituras concedendi, commentum est Sigeberti, ex pluribus capitibus inverisimile.

ORTHODOXA DOGMATA

1 Inter ipsas Ecclesiæ Cunas ubique Christifidelium viguit Sacrarum Immaginum usus, & cultus, qui ex ipsis sacrarum litterarum monumentis repetendus est, contra Iconoclastas.

2 Christum non alia etiam qua homo est, quàm germana, veraque Verbi æterni, & incommutabilis filiatione ad Deum Patrem referri, testatissimum faciunt Sacri Codices adversus Felicem Urgelitanū, & Elipandum

3 Peregrinationes Religiosæ ad loca Sacra sunt in Sacris Litteris, ac SS. Patrum auctoritatibus, & constanti perpetuoque Ecclesiæ usu firmatæ, & roboratæ adversus Adalbertum.

4 Christus Dominus cum ad Inferos descendit, non inde liberavit omnes quos Inferni Carcer detinuit, credulos videlicet, & incredulos, ac Idolorum Cultores, contra Clementem Scotum.

5 Iuramentum aliquando bonum est, & necessarium, si debitis circumstantiis sit vestitum, adversum Albanenses.

ASSERTA THEOLOGICO-SCHOLASTICA.

INCARNATIO DIVINA.

1 Possibile est Deum incarnari, nulla neque ex parte naturæ, neque ex parte personæ repugnantia occurrente.

2 Convenientissimum fuit Deum incarnari, id autem absolute necessariū non fuit, nisi Deus genus lapsum vellet redimere.

3 Non potest pura Creatura reddere Deo condignam satisfactionem pro injuria ipsi patrata.

4 Satisfecit Christus Dominus non solum pro peccato Originali, sed etiam pro quocumque actuali, quæ satisfactio non solum fuit ad æqualitatem, sed etiam superabundans, imo & de toto rigore justitiæ.

5 Unio Hypostatica importat entitatem quandam modaliter distinctam ab extremis, quæ Unio facta non esset si peccatum Originale non foret.

Disputabuntur publicè Florentiæ, recurrentibus Festivis Solemniis S. Andreæ Corsini Carmelit. Collegii Protectoris: Objectis satisfaciet idem qui supra, sub assistentia A. R. P. Magistri Fr. Fortunati Cortesi Carmelitæ Senensis in eodem Collegio S. Theologiæ Regentis. Anno 1710. Mense Januarii Die Hora

L A U S D E O.